


05

A

347





68.

Q. B. V.

QUÆSTIONES ETHICAS

DE

VOLUNTATE

*Ad disputandum publicè
proponunt*

M. HIERONYMUS MÜLLER

Hamburgensis

PRÆSES,

&

NICOLAUS HESSE Itzehoâ-Holsatus

Respondens,

In Auditorio minori horis matutinis

ad d. 26. Martij.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

ANNO clj Is CLVI.

69





DE anima humana admirandis quum
differit illustris Barlaeus, Tot retro, 11
inquit, seculis investigatum fuit, 12
quid anima sit. Quæsiuit Chaldeus, 13
nec invenit, quæsiuit Græcus, & ne- 14
scivit semper. Alius substantiam esse vult, alius ac- 15
cidens. Hic corpus, hic Spiritum. Critias sangui- 16
nem esse contendit, negat zeno & ignem esse vult. 17
Hippocras esse clamat, Diogenes aerem, Hera- 18
clitus vaporem, Pythagoras numerum esse dicit, De- 19
mocritus etiam atomos in animâ invenit. Aristote- 20
les entelechiam esse contendit. Alijs cor ipsum ani- 21
mus esse videtur, unde excordes, vacordes, concor- 22
desq; dicuntur. Dicæarchus omnibus deterior, ani- 23
mam nihil esse dicit, præter inane nomen. Harum 24
sententiarum præter postremam falsam, quæ sit 25
vera Deus aliquis viderit, quæ sit verisimillima, 26
magna est quæstio. Singuli dum aliquid dicunt, pro- 27
babile est nescire neminem. Ut intantâ opinionum 28
varietate Deus crucem fixisse videatur excellen- 29
tissimis ingeniis, ut eo esset res admirabilior anima, 30
quo ejus minus explorata est cognitio. Nos in præ-
senti sequimur eos, qui omnium rectissime de eâ ju-
dicant, ac formam esse hominis quâ est, intelligit, &

vult, evidentissimis rationibus evincunt. Institutum
autem nostri ratio non est, quid anima proprie sit
accurate hic investigare, Sed rimari nobilissimas
ejus atque primarias facultates, altera quarum est or-
dinata ad verum cognoscendum, ad bonum vero appe-
tendum et malum fugiendum altera. Physicis intelle-
ctus sunt et voluntas. Utraque in admirationem ra-
pit unumquemque. Voluntas cum primis, si modum
ejus agendi, imperium, libertatem ponderamus. A-
gendi modus istiusmodi est, ut nec corpore utatur
pro instrumento, nec appetendo satietur, nisi cum
Deo fruitur, nec in presentia solum feratur more
sensuum, cum etiam illa quae in terris sola spe possi-
dentur, desideret. Imperium dividit cum intelle-
ctu, dispari licet jure. Quod si insurgat contrari-
etatem non una cupiditas, etiam hic fasces suos o-
stendat Regina voluntas, et ea fugit, quae male
expetimus, aut ea expetit quae male fugimus. Li-
bertatem quod attinet: Sola voluntas actio-
nis suae arbitra est. Nomen id indicat, natura
demonstrat. Potest velle et nolle, Diverso modo et
gradu velle. Bonum pro malo appetere, inter duo
mala quod minus est, eligere, actionem edere, eamque
suspendere. Sive hic objicias indissolubilem illam
catenam connexionemque causarum inter se omnium;
Sive siderum influxum in haec inferiora urgeas; si-
ve temperamentum corporis quasi necessitans anti-
mimo.

mi mores prætendas; siue leges, quibus homo ob-
stringatur, animi perturbationes quibus ducatur
Et quasi cogatur, vel simile quid afferas, dubiam
quidem reddere voluntatis libertatem, tollere ta-
men nequeunt. Nondum enim causam suam obtinue-
re, cū ad singula dudum sufficientissime sit respon-
sum, tum ab aliis, tum etiam à B. Meisnero, D. Jac.
Martini, Dn. Doct. Wendelero, Piccolomineo, Et
non ita pridem à Dn. Slevogt, Diss: De indiff: vol:
hum: quo cum Dn. Parentis Syst: Phil: moralis
confer. Neq; animus est, de hisce quidquam
hęc agere. Reperiuntur autem non pauci de ho-
minis libertate cū Disputant, licet eam in rebus
civilibus Et rationi subiectis haud inficientur, solē
tamen intellectui libertatem vindicantes, volun-
tati omnem omninò detrahere solent: Partim in-
tellectus in differentiam Et nobilitatem, partim ul-
timum ejus practicum judicium urgendo, à quo ita
determinari voluntatem contendunt, ut nec cessa-
re ab actu, nec aliter atq; judicavit, eligere possit.
Est hęc fateor, quod torquet multos, cū de libertate
in hisce animi facultatibus etiam doctissima dissen-
tiant anima. Liberalis verò exercitij causa, operæ
precium me omninò facturum putavi, si tempus a-
liquod, hisce cōtroversis quæ de voluntate in Phil:
Mor: moventur, impenderem. Tu benevole Lector

A 3

benam

bonam in partem interpretaberis, quæ pro ingenij
tenuitate proferentur. Supremum Numen, nostris
adspiret conatibus, ut feliciter & ex animi senten-
tiâ succedant.

Questio. I.

An Voluntas formaliter sit libera?

1. Quum animæ humanæ facultas (quod ex Physicâ hîc præ-
supponendum est) alia sit cujus beneficio vivimus tantum, alia,
quâ sentimus, & alia deniq; quâ intelligimus, certum omnino
judicamus, nec eam animæ facultatem, quâ vivimus tantum,
nec alteram quâ sentimus, formaliter esse liberam. Quatenus
enim tales sunt, absq; ratione operantur, & agentia merè natu-
ralia sunt, quum positis omnibus ad agendum requisitis, physicâ
agant necessitate. Potentia verò libera, quatenus est talis, non
operatur absq; ratione, ac eapropter agenti naturali contradi-
stinguitur. Dum itaq; nulli harum facultatum tribui potest for-
maliter quod libera sit, merito iis in facultatibus quæ homini
competunt, quatenus intelligens est, formaliter eam residere di-
cimus: quarum duæ cum tantum sint, intellectus & voluntas,
necesse utiq; est, ut vel alterutra habeat libertatem, vel ambæ si-
mul sumtæ. Distinctæ autem hîc sententiæ occurrunt. Nonnulli
enim Solius intellectus esse libertatem contendunt, alij solius
voluntatis, alij partim intellectus, partim voluntatis. Commu-
nis autem & vera sententia est, solam voluntatem formaliter
esse liberam. Ita docent Javellus l. 9. met: q. 4 Svaretz Disp:
met: 19. sect: 5. Dn. D. Wendelerus Phil: Pract: sect. 2. c. 2. q. 7.
Wendelinus, Hornejus, & alij. Antequam verò rationes hanc
sententiam confirmantes in medium proferamus, nonnulla,
quæ ad sequentium faciunt cognitionem, sunt præmittenda.

a. Libertatem non uno modo sumi à Philosophis Practi-
cis: Aliam esse à coactione, seu violentia, qualis reperitur in spon-
taneis

taneis motibus non tantum hominum, sed etiam belluarum. **A**liam esse *à necessitate*; quâ homo non necessario determinatur, ad unum actum immutabilem, ita ut liber sit quoad studium virtutis & fugam voluptatis. Aliam *à jure seu obligatione*, quâ quis legibus est solutus, vocaturq; licentia. **B**. voluntatem posse considerari dupliciter: Uno modo, ut *agens naturale*, quatenus est principium simplicis volitionis: Sic libera est à coactione, & cum agit, spontè quidem agit, sed tamen necessariò. Altero, ut *agens liberum*, quatenus est principium electionis; Sic est libera à necessitate, & quum agit, non solum spontè agit, sed etiam libere. **γ**. cum dicimus, voluntatem formaliter esse liberam, sciendum, de eâ quod libertate accipiendum sit, quæ dicitur *à necessitate*. **δ**. Quod libertas à necessitate sit duplex: una *contradictionis*, seu *quoad exercitium actus*, quâ proposito unico objecto agere & non agere, velle & non velle possumus. Dicitur autem *libertas contradictionis*: quia inter actus contradictoriè oppositos quales sunt velle & non velle occupatur. Vocatur alio nomine *libertas quoad exercitium actus*, quia per eam actionis exercitium indifferens est, quum formaliter versetur circa unius ejusdemq; numero actus & exercitium & puram omissionem. Altera dicitur *libertas contrarietatis*, seu *quoad speciem actus*, quâ potentia in homine formaliter libera, ad certam speciem determinata non est, videlicet ad solum bonum, vel ad solum malum, sed alterutrum eligere, aut etiam respuere, atq; sic unum velle alterum nolle potest: Velle autem & nolle sunt contraria. Unde libertas contrarietatis dicta est. Vocatur *libertas quoad speciem actus*, quia per hanc libera potentia indifferentiam habet ad producendum actum unius, & alium alterius speciei.

II. Circa explicatam libertatem est quicquam, quod observatione indiget. Scil: *In libertate quoad speciem, includi libertatem quoad exercitium, non verò libertatem ad exercitium includere libertatem ad speciem*, quia si potentiam habeo & Paulum occidendi & vitam ejus conservandi, habeo simul potentiam eum non occidendi. Ergò sum liber ad exercitium homicidij, quia possum

sum

sum occidere, ut patet, & non occidere, possum enim conservare vitam. At verò licet quoad exercitium sim liber & possim amare ac non amare bonum in communi (possum enim actum amoris interdum suspendere) non statim quoq; liber sum ad speciem actus, & possum odisse.

III. His præmissis, nunc ad proponendam veram sententiam accedimus, quæ probabitur satis, si ostendi poterit, non esse in intellectu libertatem formaliter, seu eam, quæ dicitur: à necessitate. Argumentamur itaq; hunc in modum: Quicquid neq; quoad exercitium actus, neq; quoad specificationem actus, liberum est, illud non est liberum à necessitate. Sed intellectus neq; quoad exercitium, neq; quoad specificationem actus, liber est. Ergò intellectus liber non est à necessitate. Ratio majoris propositionis manifesta est, nec ullam postulare videtur probationem. Minor probatur ex tribus intellectus actibus. Primus est *simplicium apprehensio*, quæ in suum objectum fertur ita ut illud representet tantum, non componat cum alio, aut dividat. Altera mentis operatio *judicium* vocatur, quod, si affirmat, compositio, si negat, divisio dicitur, & nihil est aliud quam actus, quo intellectus representat duo extrema, vel esse idem, vel esse distincta. Tertius actus *Discursus* appellatur, qui est velut mentalis quidam cursus ab uno actu ad ad alium, vel uno objecto ad aliud.

IV. Quantum ad *simplicem apprehensionem*, intellectus non habet libertatem quoad exercitium actus. Posito quippe objecto, & requisitis necessariis ad apprehendendum, necessariò apprehendit. Habet enim se ut potentia sensitiva ad subjectum sufficienter propositum, & illo posito & requisitis, non magis potest rem non cognoscere atq; oculus apertus in mediâ luce objectum suum non videre. Nec est liber *quoad speciem actus*, aut *libertatem contrarietatis*, quia hæc (uti ex præcedentibus constat.) includit & præsupponit *libertatem contradictionis* seu *quoad exercitium*. Unde quod liberum non est quoad exercitium, neq; liberum esse potest ad speciem actus: quippe cum pugnent
inter

inter se, potentiam in ordine ad eundem actum determinatam esse quoad exercitium, liberam autem, quoad specificationem. Si quo ad exercitium voluntas necessariò fertur ad actum amoris, quomodo ad speciem liber & indifferens esse possum ad actum amoris & ad actum odij.

V. Quantum ad secundum intellectus actum, *judicium* scilicet: neq; in eo est liber quoad exercitium actus. Quando enim intellectui nostro proponitur enunciatio quaedam vel affirmativa, vel negativa, & ratio extrema sufficienter apprehendit, rectè inter se comparat, adeoq; propositionem, vel evidenter veram vel evidenter falsam apprehendit, non poterit non illi assensum præbere, ab hac necessariò dissentire. Etsi enim liber est à coactione intellectus; subjicitur tamen necessitati contrarietatis, quemadmodum id probat: Plur: Rever: Dn. D. Wendererus. Phil. Pract. l. 2. c. 2, q. 7. Si autem eveniat quandoq; intellectui creato, ut nec assentiri nec dissentire possit, non fit hoc inde, quasi ex se indeterminatus sit intellectus ad utrumq; sed quod objectum licet in se determinatè vel verum, vel falsum sit, ei tamen non adeo clarè & evidenter proponatur, ut de ejus veritate, vel falsitate, citra omnem formidinem oppositi, *judicium* suum interponere possit. Causa itaq; potissima indifferentiæ talis hæc est, quod intellectus creatus propter finitam suam perfectionem non omnia evidenter cognoscat. At in intellectu divino (ut verba habent Svaretzij disp: Met: 19. sect. 5. n. 15.) nulla est propriè indifferentia quoad *judicium*, quia semper est actus scientiæ evidens & cum perfectâ manifestatione objecti. Dum igitur intellectus ex se liber non est quoad exercitium, & verò libertas primò & per se cernitur in exercitio actus, patescit simul, quod etiam formalem libertatem, quoad specificationem habere non possit.

VI. In tertiâ intellectus operatione, quæ *discursus* dicitur, res pari se habet modo. Quod si enim præmissæ objectum sufficienter representantes, pro evidenter veris ab intellectu *judicentur*, atq; ita ex iis inter se ritè dispositis legitima in-

B

feratur

Feratur conclusio, non poterit ei intellectus vi illationis & evidentiâ consequentiæ superatus, assensum suum denegare, & syllogismum tanquam bonum æstimare. Si verò omnia secus se habuerint, intellectus quoq; ad assentiendum conclusioni, nequaquam allici poterit. Patet igitur ex his quod intellectui libertas quâ de loquimur, non competat.

VII. Argumentamur porrò: Si intellectus formaliter esset liber & ante consensum voluntatis, sequeretur hominem solo intellectu posse peccare & ante consensum voluntatis; Sequeretur etiam, duos esse actus in homine elicitos à duabus potentiis per se liberos ponendos, adeoq; duplicem inordinationem moralem in hujusmodi actibus intellectus & voluntatis. Posteriora sunt absurda, Ergò & prius. Consequentia probatur: Sufficit enim ad actus malitiam moralem, si rectæ rationi sit dissonus, & eliciatur à potentiâ, formaliter libera. Si igitur intellectus judicaret, aliquod objectum esse pravum, idq; pro sua libertate eligibile, in illo actu præcisè sumto, & ante alium consensum voluntatis esset malitia moralis, quia de se rationi & legi difformis esset, & simul liber à liberâ potentiâ elicitus. In electione porrò talis objecti, esset nova malitia, quia ille est novus actus liber quem homo vitare posset, & de objecto rationi contrario. Quod si stante illo iudicio, voluntas non consentiret, nihilominus homo reprehensione dignus esset ratione talis iudicij, non ratione alicujus voluntatis prioris formalis aut virtualis, sed præcisè ob libertatem intellectus. Eademq; ratione inconsideratio, aut error posset esse culpabilis, ratione solius intellectus, absq; interventu voluntatis: quæ omnia sunt absurda, cum nihil repugnet magis, quam esse peccatum absq; voluntate.

VIII. Qui libertatem non solum voluntatis esse contendunt, cum Piccolomineo Grad: 2. Phil: mor: c. 41. p. 222. Intellectus urgent perfectionem, eiq; ut facultati nobiliori, libertatem merito tribui debere contendunt. Sed negatur consequentia. Loquimur hîc, de libertate formaliter acceptâ, quæ intellectui
(quem

(quemadmodum ex antecedentibus constat) nullo modo com-
petere potest. Non autem perfectioni intellectus inde quid de-
rogatur, quia simpliciter major perfectio est esse regulam vo-
luntatis, quæ cum quasi coeca sit, intellectus directione indiget.

IX. Quum igitur probatum, intellectum formaliter libe-
rum non esse, ostendi nullo negotio potest, quod sit in voluntate
formaliter libertas. Sequitur enim necessarium ut voluntati com-
petat, si intellectui nequit tribui. Consequentia claret: quia for-
maliter libertas nulli competit facultati, nisi rationali; Præter
intellectum verò & voluntatem nulla potentia rationalis datur.
Quare si intellectui non inest libertas formaliter, necessarium
utiq; erit, in voluntate reperiatur, eiq; merito ac summo qui-
dem jure tribuatur.

Questio II.

An voluntas determinetur à judicio in- tellectus.

Qui voluntatem formali libertatis defraudant, idemque
intellectui adscribunt, præter nobilitatem & perfectionem ejus,
ut & imperium motionemq; potissimum intellectus judicium
urgere solent practicum: A quò ita determinari voluntatem
contendunt, ut liberam electionem nullo modo possit institue-
re, adeoq; in actionibus magis passivè se habeat quàm activè,
quò necessitate quadam sequatur potentiam intelligendi, ejusq;
imperata efficiat. Nos diversum sentire cogimur, mori rationib;
gravissimorum virorum, qui contra Bellarminum aliosq; mo-
dò dictam determinationem defendentes, disputant. Quorum
argumenta sat ponderosa, præmissis aliquot conclusionibus,
quæ ad subsequendum faciunt intelligentiam, subjiciemus.

I. *Voluntas in omni actione suâ requirit cognitionem aliquam
intellectus, de re propositâ minimum apprehensivam convenientis &*

B a

discon-

disconvenientis, in ordine ad voluntatem appetentem. Quæ cognitio alio nomine appellari solet æstiativa commodi aut incommodi, item discretiva boni & mali in re.

III. *Liberos voluntatis rectus non tantum precedere solet cognitio intellectus apprehensiva, convenientis & disconvenientis in re confusè; sed & plurimum cognitio iudicativa, per deliberationem verè ac propriè talis. Conclusio hæc teste experienciâ satis evidens est, adeoq; probatione non indiget. Colligitur autem iudicativa hæc cognitio ex deliberatione vel formali, seu per expressum discursum inquisitivum mediorem ad finem propositum: vel virtuali, seu sine discursu, quâ scilicet intellectus sufficienter, voluntati proponit sine discursu, non solum opposita, sed etiam eas rationes, quibus admissis, indifferenter alterum eorum eligere possumus. Talis verò iudicativa cognitio seu tale iudicium per utramq; deliberationem collectum, esse solet vel speculativum, quo speculativè iudicat rem esse bonam aut malam, vel practicum, quo intellectus practicè rem eligendam aut non eligendam decernit. Practicum ultimum, est ultimum rationis dictamen, quo ea omnibus inspectis iudicat hoc vel illud hic & nunc necessariò esse faciendum aut non faciendum.*

III. *Quamvis liberis voluntatis actus precedere soleat aliqua per deliberationem collecta cognitio iudicativa, seu aliquod iudicium; non tamen est simpliciter necessarium, ut illud semper sit iudicium practicum, multò minus ut sit ultimum practicum: potest enim etiam absente eo voluntas actum elicere. Probamus rem exemplo: Si duo occurrant bona jucundum & honestum, quorum alterum eligendum proponitur voluntati, quamprimùm intellectus iudicavit Speculativè, alterum esse bonum turpè, alterum honestum; potest pro suâ libertate voluntas, turpe illud bonum eligere, relicto honesto. Eligit igitur ante accedens omne iudicium practicum & generale, quod esset hoc honestum esse turpi præferendum, & ultimum, nimirum hoc bonum honestum huic turpi hic & nunc omnibus consideratis esse eligendum.*

Quibus

Quibus præmissis, omnino statuendum judicamus, voluntatem in suis actionibus liberis, non necessario determinari, ab ultimo practico judicio intellectus, vel quoad exercitium, vel quoad speciem actus. *Non quoad exercitium*, quia licet rationis judicium adsit, voluntas tamen libertatè suâ non privatur, sed manet indifferens, & positis omnibus prærequisitis, potest actum eligendi suspendere, vel hoc tempore nõ eligere quod intellectus judicat in praxi eligendum esse. Neq; *quoad speciem actus*, quia proposito certo appetibili, quod intellectus eligendum judicat, voluntas contrarium eligere potest, vel eligit voluptatem sæpenumerò, quàmvis virtutem honestiorem esse cognoscat, quamq; appetendam esse intellectus judicaverat. Quemadmodum id fatetur medea Ovidiana Lib. 7. Metam :

*Sed trahit in vitam nova vis, aliudq; cupido,
Mens aliud suadet, video meliora, proboq;
Deteriora sequor.*

Unde Keckerm: Curs: Phil: Disp: 19. q. 12. Non intellectus inquit, trahit aut rapit voluntatem, ad bonum amplectendum, sed tantum monstrat voluntati & proponit hoc bonum intellectus. Penes voluntatem jam situm est, penitus sequi hoc bonum; vel non sequi. Habet in eo libertatem suam voluntas, & à se ipsa movetur, ad hoc bonum consequendum. Intellectus satis habet, objectum monstrasse, applicatio autem ad illud objectum, quanta est, tota dependet à principio & arbitrio interno ipsius voluntatis. Quod si autem voluntas, necessario determinatur ab ultimo practico judicio intellectus, tum neq; posset eligere minus bonum, relicto majori, quum intellectus, nisi fortè erraverit, semper judicet præferendum esse bonum majus minori. Neq; ex duobus æqualibus bonis alterum posset eligere, quum intellectus neutrum alteri præferendum statuat, & quidem præponere nequeat, aliàs enim æqualia non essent, quæ omnia tamen pugnant cum libertate voluntatis humanæ. Immo si voluntas dependeret ab intellectus judicio, sequeretur eam non liberè sed naturaliter agere. Judicium quippe intellectus ante

volitionem aut nolitionem præsupponitur. Ageret etiam voluntas non ut movens, sed ut mota facultas, quod libertati ejus contrarium est, cum nihil liberum sit quatenus patitur, sed quatenus agit. Inquis: Anne intellectus voluntatem efficaciter movet, si videlicet voluntas intendat hunc vel illum finem, per unicum medium consequendum, tunc enim necessario determinatur voluntas ad unicum aliquod medium eligendum per intellectus judicium practicum? Resp: Hæc determinatio certi alicujus mediij dependet à virtute actus efficacis ejusdem voluntatis antecedentis: Estq; hæc determinatio involuntate antecedenter, in intellectu verò consequenter tantum & factâ suppositione, seu ex hypothesi talis intentionis in voluntate. e. g. appetit voluntas præsupposito primùm competenti propositione, objecti ab intellectu facta, *Divitias*: At verò unicum sit medium ad tales, videl: labor assiduus. Hic suppositâ efficaci intentione hujus finis a voluntate concepta ex hypothesi, se ipsam illa determinat per judicium intellectus, ut si intendat, consequi hunc finem, intellectus judicet omnino hoc esse faciendum, atq; sic præsuppositâ intentione hujus finis determinat se ad illud medium, quod intellectu judicet ad hunc finem esse necessarium. Secus verò si plura sint media unum potest præferre alteri sine determinatione intellectus, aut si velit recedere à fine intento, intellectus nequit quadam vi ad illum impellere. Concludimus cum Bernhardo. Ratio est data voluntati, ut instruat illam, non ut destruat, destrueret autem, si necessitatem ullam imponeret, quò minus pro arbitrio sese volveret.

COROLLARIA.

An Voluntati malè tribuatur arbitrium, cum arbitrari sit actus intellectus? N!

An voluntas & voluntatis libertas realiter differant? N.

AN

*An voluntatis arbitrio subjiciantur animæ ve-
getantis actus? N.*

*An bene sequatur, voluntas naturâ suâ inde-
terminata est, Ergò se ipsam determinare
nequit? N.*

*An idem valeat voluntas non potest non velle,
quàm voluntas cogitur velle? N.*

Prestantissimo Doctissimoq; Viro-Juveni

NICOLAO HESSE,

*Amico & Contubernali Conjunctissimo,
publicè Disputaturo ex Ethicis;*

Diversis trahimur Studiis: Bibit, ille canitq;
Et ludit tempusq; terit: lequiturq; diones
Alter vexillum. Multi quoq; grandia no-
runt,

Abstrusas artes, & quæ, mysteria, vulgus
Scilicet ignorat, tales si videris, utres
Esse putestumidos: inflat sapientia sæpè
Et tollit cristas: Multos & opinio fallit
Atq; sui velanus amor. Nil dicere plura
Attinet. Ingenuos sophiæ & Virtutis alumnos
Nunquam non veneror, sincero amplexus amo-
Hos inter, Nicolae, nites, mihi cognite dudum (re.
Germa-

Germāno candore animi, pietate, fideq;
Et tollers cultor Sophiæ. Alpernaris inanes
Larvati secli nugas: pietate polire
Pectus, & utilibus studijs, hæc summa voluptas,
Hicce tuus labor est. Nunc dum secreta relinquis
Musei, & cathedram gaudes conscendere, grator
Ex animi tibi mente. Tuis conatibus adsit
Supremum porrò Numen: tua cœpta secundet
Ipsæ favor cæli. Si quid rectè auguror, olim
Patria & Eusebie digna mercede labores
Quos nunc exantlas alacris, pensare studebunt.

L. m. g.

deproperabas

Johannes Laurentius
Itzehoâ-Holsatus



05 A 347

ULB Halle

3


004 210 247



1077







68.

Q. B. V.
QUESTIONES ETHICAS
DE

VOLUNTATE

*Ad disputandum publice
proponunt*

M. HIERONYMUS MÜLLER
Hamburgensis

PRÆSES,
&

NICOLAUS HESSE Itzehoâ-Holsatus

*Respondens,
In Auditorio minori horis matutinis
ad d. 26. Martij.*

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.
ANNO clz lz CLVI.

68

